

h. 105, 47.

I. 282.

Yb  
762

A D  
GOTTLOB FRIDERICVM  
KREBELIVM

X 2943716

DE  
GABLENTIAE EXVNDATIONE

d. xxviii. iulii A. R. mdcclxxxv.

IOANNES THEOPHILVS LESSING.



---

CHEMNITII



186. D

74201.1

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
GÖTTINGEN

186. D



186. D





PL. XLVI. v. 9.

tot stragis acervos!

**Q**uam sit aeternus falsi rumor crescatque loquendo  
Saepius, haud vllum, DULCIS AMICE, fugit.  
Qui pretium veri gaudes discernere falso,  
Accipe, quid faciat leniter vnda fluens?  
Aequoris ille Deus, qui vastas temperat vndas,  
Ducit et arbitrio flumina parva suo.  
Ne nimium credas lambenti leniter vndae,  
Et quae testa struis, ne nimis alta putes!

\* 2

Leni-

Leniter vnda fluens, vulgo Gablentia dicta,  
Fluctibus et paruis numen adesse docet.

Eheu, quae pago placidis allaberis vndis,  
Ductaque quae pagi nomen amore geris;  
Vndis te placidam vidi, Gablentia parua;  
Feruere te vidi firmaque deiicere! \*)  
Non haec vis fluuio, non haec audacia paruo!  
Te queritur iuuenis, te stupet ipse senex,  
Deduxisse Deus de nubibus agmen aquarum  
Fertur et hos fluctus exacuisse tuos.

OPTIME KREBELI, si vis cognoscere verum,  
Dicam, nec vates tristia fata canam,  
Munere qui posito Rheni cantauerit iras \*\*)  
Vates, Chemnitii tristia rite canat,  
Ille maris fertur Deus exarsisse Mineruae,  
Quae lanae studium protegit atque colit.  
Dicant haec vates, qui fictis vera subornant:  
Multis ficta placent; nos imago nuda iuuant.

Iam

\*) d. 28. Iul. hora nona vespert.

\*\*) Calendarium Musarum latinum praefam. adorn. p. 12. „Certaturo  
cuilibet carminis materiem proponimus Rheni exundationem, quae  
tantas superiori anno tragoedias excitauit., Halberstadii, Non. Iun.  
MDCCLXXXV.

Iam lux aurorae noctis dimouerat umbram;  
Pulsis it tandem nubibus alma dies,  
Quam lucem Phoebi votis precibusque vocarat  
Frustra, quisquis ouans carpere constituit,  
Ecquid ego faciam, quum Musis otia dantur?  
Carpe diem! Genius \*) fallor an haecce monet?  
Euoco, qui iuuenes gressus comitentur euntis;  
Haud mora, festinant adueniuntque duo:  
Fratre Tuo natus parilique aetate sodalis;  
Moribus ingenuis ingenioque pares.

Gloesa, situ fedes celebranda vel Abbate digna, \*\*)

Excipit egressos hospitioque fouet.

Lautior hac coena est; nullam tamen, OPTIME, noui,

Quae sit laeta magis, quae magis Socratica, \*\*\*)

Dulcibus expleti dapibus sermoneque laeti

Tectis egredimur, ne ruat alma dies,

\* 3

En

\*) Xenoph. Memor. „διετρυλλητο, ὡς φησὶ Σωκράτης, το δαιμονιον  
αυτου σημαίνει.“ Quae monita vel Horatii Lib. I. od. II.

\*\*) Hilario apud Chemnitienfes olim dignissimo, vel adhuc in scho-  
lae magistros indulgente,

\*\*\*) C. Plinii Lib. I. ep. 15. „paratae erant lactucae — oua — Potes  
adparatius coenare apud multos; nusquam hilarius, simplicius, in-  
cautius.“

En quam laeta Ceres, quam lactus et ipse colonus,  
Quod flammam spirat Phoebus et aura fauet!  
Quae dum spectamus, pars coeli inuoluitur atro  
Turbine, qui miseris noctem hyememque ferat,

Mens neque venturi dederat praesagia falsa;  
Quae dederat, nobis nuntia fama refert:  
„Eheu quantum agmen coelo descendit aquarum,  
„Quod subuertit iter, quod fata laeta tulit;  
„Nec via Chemnitium, nec femita tuta petenti;  
„Corruit haec; agros prataque pontus habet.  
Dum sumus incerti, quae nos via ducat in urbem?  
Sol nitet et nobis carpere suadet iter.  
Carpimus hoc dubii, verum non passibus aequis:  
Quae tulerat rumor, quisque videre cupit,  
Iam tetigi comitesque mei magalia parua; \*)  
Major gutta cadens tecta subire monet,  
Dum maneo, coelum lustro speroque serenum,  
Nobis mens suadet, non mihi laeua, fugam,

Nubibus erumpunt nimbi, fragor intonat eheu!  
Cur comites iterum tecta subire moror?  
Intramus saltu: Baucis dolet atque Philemon,  
Quam patimur sortem, tersaque fella datur. \*\*)

Inde

\*) Germanice Furth.

\*\*) Ouid. Met. Lib. VIII, v. 631. 663.

Inde senex, coniux paucisque adfuenta iuuentus  
Orant, cum mensam coena parata grauet.  
Nos quoque conuiuas rogitant, non pectore ficto;  
Accedunt vultus blandaque verba senis.  
Quod stimulans ardor madidos non vrget edendi,  
Redditur a nobis gratia multa bonis.  
Bis petii limen, bis sum reuocatus ab illis;  
Inceptam tandem stat renouare viam.  
Parua via, o Iuuenes, superest; properabimus, inquam!  
Cunctanti damno ne mora multa fiet,

Hinc quisquis properat, quantum properare procella  
Et via Neptuni rupta tridente sinunt.  
Viribus exhaustus statuo succedere tectis, \*)  
Quo possim melius continuare viam.  
Aft hic non requies fessis conceditur vlla,  
Effera dum ripas transilit vnda suas.  
Quae loca, torrenti cum sint contermina, linquo,  
Ne reditum nobis obstruat agmen aquae.  
Hinc nostri memores Genii baculisque leuati  
Nostris tentamus, quod graue restat iter.  
Aggere sublimis, \*\*) paulum mea lumina flecto,  
Merfaque tot prati jugera prospicio,

Semita

\*) Siegersche Bleiche. Vulgata vt germanicis exprimamus.

\*\*) Auf dem Damm vom Schlofsteiche.

Semita fida manet, cum non immissa feruntur  
Flumina, Chemnitii nomen adepta suum.  
Iamque propinquamus portis totumque videmur  
Euasisse malum, cum ruit vnda polo.  
Vnda ruit coelo, tunica ruit vnda fluente;  
Fracta velut ferimus corpora naufragio.

Tangimus octava demum, ni fallimur, hora  
Vnda perfusi laetitiaque Lares.  
O qui complexus, quae gaudia vera fuerunt!  
Iurgia quanta etiam dulcis amicitiae!  
Tendimus ad coelos orantia brachia salui,  
Ac pro dilecta fundimus vrbe preces:  
„Parse piis vrbique tuae, si vota superfunt!  
„Littora qui ponis, littora pone vado!  
Fallor, an insurgunt nimbi? ruit Oceani vis;  
Nubila pulsa micant, intonat alta fragor,  
Atra nube Deus septus specularur ab alto: \*)  
Omnia qui spectas, iam specularare, Deus!

Nuntia fama volat crescitque potentior vnda;  
Sit modo fama loquax, nuntia falsa mali!

»Voluitur

\*) Tristia P. Ierem. c. 3. v. 44.



„Voluitur, imbre tumens coeli, \*) Gablentia nostra  
„Et iam deiectum fortia quaeque ruit:  
„Ripas euertit, pontes \*\*) et strata viarum;  
„Altior imbre domos, hospita templa \*\*\*) subit.  
Altera fama volat: „ portae munimina vertit; \*\*\*\*)  
„Vrbis per plateas faeuior vnda furit, \*\*\*\*\*)  
Clamant, qui saluis orantia brachia tendunt;  
Clamant, qui miseris brachia firma ferunt,  
Non satis est misisse manum; demittitur alto  
Funis, quo fluuio corpora fracta trahant.  
Heu domus interior gemitu luctuque parentum  
Miscetur; soboles, femina virque gemunt!  
Ipse pater tectis materque labantibus errant;  
Rapta velut thalami pignora chara dolent,  
Tristior infurgit clamor ripaeque lacusque  
Late responsant; intonat alta fragor,

Spemque metumque inter votis precibusque vocamus  
Lucem, quae nobis detegat omne malum,

Iamque

\*) Zwischen Gablenz und Eube.

\*\*) vier steinerne und zwei hölzerne.

\*\*\*) Hospitalkirche.

\*\*\*\*) Iohannis Thor.

\*\*\*\*\*) Iohannis Gasse und Bach.

\*\*

Iamque aurora venit, rursus caligine densa;  
Tristior adspectu tristia fata docens.  
Tectis egredior, votis ad Numina fufis;  
Quin praeceps inter spemque metumque seror.  
Adspicio, quod fama tulit, miserabile fatum:  
Quaecunque adspicias, vnda lacusque tenet.  
Neptunum inculsat demens, qui praesidet hortis,  
Atque lacu Florae munera mersa dolet.  
Cui lanae studium, quem diligit ipsa Minerua,  
Telas et rarum pectine luger opus:  
„Credere quis posset? neque nostris vnda pepercit  
„Telis; ecce lacu stamina mersa scatent!  
Vera quidem loqueris, cunctas effudit habenas;  
Vndam subiecit, quae furat ima, Deus.  
Cognoscit, quae te domet inclementia fati,  
Qui fluuio ponit littora, quique mouet.  
Pone modum lacrymis, fluuio iam littora ponit;  
Iam spera, spes est in bonitate Dei.  
Ast tu, qui transis, felix, ne sibila rollas;  
Ne miseros spectes concutiasque caput! \*)  
Turget adhuc nubes, multo grauis imminet imbre;  
Ne caput infestum, ne ruat vnda, caue!

Musa

\*) Pudet me dicere, quod, si verum, pro suggestu dictum est a M.  
A. Tristia P. Ierem. C. 2. v. 15.

— — — — —  
Musa fugit, quae venerat officiosa vocanti:

Accipe, quae fudi carmina nostra, fauens!

KREBELI, factus non venerat illa ministra;

Venerat, vt miseris officiosa foret. \*)

TE colit illa quidem; ne dedignare pudicam,

Et qua ferre potes, fer, BONE, subsidium!

Luce magis DILECTE mihi, DILECTE Camoenis!

Verba mihi defunt, non mihi vota: Vale!

\*) Tabulam portat, rogans victum pro miseris, Phaedri Fab. L. IV.

f. 21. Naufragium Simonidis.




vd 18

Ms. 762 6A

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

Ms. C.





*h. 105, 47.*

*I. 382.*

Yb  
762

*X 2943716*

A D  
GOTTLOB FRIDERICVM  
KREBELIVM

DE  
GABLENTIAE EXVNDATIONE

d. XXVIII. IVLII A. R. MDCCLXXXV.

IOANNES THEOPHILVS LESSING.



---

CHEMNITII.

